

firmantibus, vid. *Bodinus* Daemonom. L. II. C. VII. *Benedictus Carpzou.* in Practica Noua Criminal. P. I. Q. 50. N. 66. P. II. N. 8. f. 334. N. 20. 336. seqq. *Osiander* de Magia p. 157, 165. seq. *Erasmus Francisci* in dem höllischen Protheo. N. 79. p. 839. seqq. *Nürnberg* 1708. 8. Non tamen per eum substantiam aliquam producere posse, vel ex iis, quae §. 3. de generatione naturali diximus, liquet. Diabolus est spiritus Eph. II, 2. C. VI, 12. et proprietates Spiritus ipsi competunt. vid. Marc. V, 9. Luc. VIII, 3. spiritus autem carnem et ossa non habet, Luc. XXIV, 39. inde Diabolus non habet sanguinem, non habet vasa generationi destinata, nec de hinc sanguinis portionem nobilissimam, feminale fermentum: Ergo non potest ouum mulieris foecundare, non potest sui similem procreare vel generare, quia Diabolus et homo sunt species toto genere diuersae, quarum nulla potest fieri commixtio, et si etiam commisceri possent, tum partus hic proueniens utramque participaret naturam, Daemonis et hominis. Talis autem nunquam est visa creatura, quae angelicam simul et humanam naturam retulerit. Et licet corpus aliquod assumpserit, semenque aliunde suffuratus in uterum foeminae immiserit; Quia tamen illud corpus vel est ex vaporibus, aere scilicet, terra et aqua concretis, atque adeo non est solidum, vel si, utpote cadauer defuncti, est solidum, non autem calorem vitalem habet, semen etiam extra destinatos ad generationem a natura locellos proiectum suam vim plasticam, quae cum calore in auras rapta atque dissipata fuit, amisit, vid. *Hornaeus* in Exercitat. Anatom. Exercit. 72. *Wierus* de praestigiis satanae C. XXXVII. p. 498. seqq. *Sperling* Instit. Phys. L. II. C. IV. Q. XI. p. 385. *Anton. le Grand.* Institut. Philosoph. P. III. C. IX. Quod ipsae sagae, quae Daemoni sui corporis fecerunt copiam, fuisse saepius testatae, se illius semine, si quod effudit, ceu quavis glacie frigidiore in tantum coniectas frigus, ut eo immis-

mis-